



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Iracundia ex tarditate ferocior.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

subornatum, qui & felicitati utriusque inviderent, & regi optimo male obtemperantes essent, longe autem secus rem habere, quam illi mentiti essent. Siquidem non immania & effera loca profecturi erant, sed ad urbem orbis terrarum dominam, amœno loco sitam, ubi rerum deliciarumq; omnium quotquot vel avidissimi cujusque cupiditate expeti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem, cui totus pene terrarum orbis assurgeret, apud quem is in deliciis habendus esset, & tanquam Luscinia pullus, lautitiarum blanditiarumque affluentia nutricandus: proinde bono animo esset, secumque primo quoque tempore lætus & alacer navem incenderet, affuturos navigationi Deos cursum omnem incredibili felicitate perferuturos. Ita Hannonem ab eodem magistro in aliam sententiam deducit, ubi signa data sunt, ultro navem conscendisse, neque ulla unquam imperia toto itinere detractasse.

DE RHINOCEROTE. CAP. XIX.

Quis Rhinocerotam in Domitiani numis inspexere, quid id signum sibi velit, quaritare solent. Ego factum id ad Principis adulationem dixerim, qui animalia hujusmodi spectaculis obtulerit, cujusmodi munus illud fuit, quod à Valerio Martiale celebratur;

*Præstitit exhibitis tota tibi Caesar arena,
Qua non promisit prælia Rhinoceros.*

*O quam terribiles exarsit prorsus in iras!
Quantus erit cornu, cui pila Taurus erit!*

IRACUNDIA EX TARDITATE FEROCIOR. CAP. XX.

Sunt enim qui lentitudinem irascendi, ac nullum mox adhibitum modum excarescentia, per hujus animalis hieroglyphicum intelligant. Nam in eo conveniunt authores, magna id indigere irritatione, sed ubi irasci cœperit, esse ferocissimum, quod & altero Martialis expressit Epigrammate:

*Sollicitant pavidi dum Rhinocerotam magistri,
Seque diu magna colligit ira fera:
Desperabantur promissa prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sit extulit Ursum,
Jactat ut impositas Taurus in astra pilas.*

REX POTENS IMBECILLIORIS
ARTIFICIO PETITUS. CAP. XXI.

Sunt qui volentes, potentem aliquem Regem imbecillioris alicujus artibus vexatum intelligere, Elephantem pingunt in certamen à Rhinocerote laceffitum. Nascitur hic siquidem natura hostis Elephanto, longitudine ei pene pari, sed cruribus multo brevioribus, colore buxco, ut ait Plinius. Cornu is ad saxa limato se pugnae præparat: in dimicatione alvum maxime petit, quam esse molliorem intelligit, eaque perfocta, actum superat Elephantum.

ROBUSTUS. CAP. XXII.

Sane fortem atque robustum Divinae literæ, ut Eucherius tradit, per Rhinocerotis imaginem accipiunt. Illudque Jobi ex Hebræo affertur. *Numquid vult Rhinoceros, cui Domitia noceros servire tibi? Terribilis, ait is, fera Rhinoceros, cui numus gemina in naribus cornua:* atque ita in Domitiani nu-



^a Lib. 8.
cap. 30.

^b Domitia noceros servire tibi? Terribilis, ait is, fera Rhinoceros, cui numus gemina in naribus cornua:

mis